

Pergamena 10

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 10

01-08-1355

+ In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno a Nativitate eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, regnantibus serenissimis dominis nostris domino Lodovico rege et domina Iohanna regina, Dei gratia Ierusalem et Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitibus, regnorum vero predicti domini nostri regis anno septimo et predictae domine nostre regine anno tertio decimo, feliciter amen. Die primo mensis augusti octave indictionis apud Ricilianum, nos Lampus Pascalis, ipsius terre annalis iudex, Angelus de Camerino de Mathera, publicus per provincias principatus Citra Ultraque, Serras Montorii et Basilicate regia et reginali auctoritate notarius, subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti publico scripto notum facimus et testamur, quod, in nostri presentia constituti Rogerius de Calabria de Riciliano ex parte una et Angelus de Pasca de eadem terra Riciliani ex parte altera. Prefatus quidem Rogerius dixit se habere et possidere ortum unum francum, positum in territorio ipsius terre Riciliani, ubi dicitur La Serra de Riciliani in fines orti dicti Angeli, orti heredum quondam domini Amoris, orti Marcutii Mansi et aliorum qua propter, sicut ipsi Rogerio placuit et congruum sibi fuit, non vi non dolo non metu nec suasionem ab aliquo circumvento, ut dixit, sed sua mera libera et bona voluntate, absque aliquo colludio pravitate, a presenti et in perpetuum vendidit tradidit et personaliter assignavit per fustem eidem Angelo presenti, ementi et pro se suisque heredibus recipienti, totum et integrum ortum predictum, qualiter superius per suprascriptos fines indicatum est, francum et liberum, et nulli honore prestationis subiectum, ut dixit, et exinde eundem

emptorem in veram et vacuum corporalem possessionem posuit et induxit. Ea quidem ratione ut predictus ortus semper sit in potestate ipsius emptoris et eius heredum cum omnibus intra se et infra se habentibus, cunctisque iuribus rationibus et pertinentiis suis, via itinere et ortu suis; ad habendum tenendum possidendum dominandum et utifruendum ac in eo de eo et ex eo faciendum quicquid sibi et suis heredibus placuerit, absque ipsius venditoris et cuiuscumque hominis et persone molestia vel contrarietate. Et propter confirmationem huius prefate venditionis et traditionis, prefatus Rogerius venditor coram nobis confexus est se presentialiter habuisse et manualiter recepisse ab eodem Angelo in carolenis argenti duobus pro tareno quolibet computatis, tareni aurei octo, usualis pecunie huius regni. Unde per convenientiam bonamque eorum voluntatem prefatus venditor guadium ad manus ipsius emptoris etiam pro se et suis heredibus recipiente, dedit et fideiussorem ei posuit Nicolaum de Salvo de predicta terra Riciliani, presentem et sponte fideiubentem; et per eandem datam guadium et fideiussionem solempniter obligavit se suosque heredes semper defendere et guarentire eidem emptori et suis heredibus totam et integram hanc venditionem et traditionem ab omnibus hominibus et personis qui eam infringere voluerint. Quod si, sicut superius et inferius scriptum est, ipse Rogerius venditor vel sui heredes non adimpleverint et ex eis vel ex ipsis contra quem remove aut contradicere presumpserint per predictam guadium obligavit se et heredes suos ad penam dupli pretii supradicti. Ita quod si et quotiens contra premissa omnia et singula venerint, egerint et comparuerint in iudicio vel extra iudicium, publice vel occulte, per se vel aliam personam incognitam,

totiens pene nomine teneantur solvere et solvant, medietatem ipsius obligationis curie dominationis ipsius terre Riciliani et reliquam medietatem parti lese, me predicto notario tanquam persona publica pro parte dicte curie et dicti emptoris per se et suis heredibus sollempniter et legitime stipulanti. Renuntians dictus venditor in premissis et eorum singulis exceptioni doli, mali, fraudis et in factum rei aliter geste quam superius et inferius continetur et omnibus iuribus et actionibus canonicis et civilibus, scriptis et non scriptis ac consuetudinariis per que vel quod presens contractus resindi posse in toto vel in aliqua sui parte, specialiter legi dicenti generalem renuntiationem non valere. Certioratus prius ipse venditor de iuribus ipsis, ut dixit, pro quibus omnibus et singulis adimplendis inviolabiliter observandis et de contra non veniendo, prefatus Rogerius venditor ad Sancta Dei Evangelia corporaliter et debitum prestitit iuramentum. Unde ad futuram memoriam et dicti emptoris eiusque heredum cautelam perpetuam presens publicum instrumentum exinde factum est per manus mei ipsius supradicti signo meo solito signatum, subsignatione qui supra iudicis et subscriptorum testium signis et subsignationibus roboratum. Quod scripsi ego Angelus qui supra notarius publicus qui premissis omnibus et singulis rogatus interfui et audiui, meoque consueto signo signavi. Superius autem interlineatum est ubi legitur teste, non noceat.

2

+ Signum crucis proprie manus Lampi Pascalis qui supra iudicis idiote. + Signum crucis proprie manus Guillelmi de Motula scribere nescientis qui teste premissis Nell'interlinea.

interfuit. + Signum crucis proprie manus Gifoni scribere nescientis qui teste premissis interfuit. + Signum crucis proprie manus Guillelmi de Gesso scribere nescientis qui teste premissis interfuit. + Signum crucis proprie manus... scribere nescientis qui teste premissis interfuit. + Signum crucis proprie manus Nicolai de Persia scribere nescientis qui teste premissis interfuit.